

Franz Wolf

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Franciscus Wolfius,  
Philosophiae Magister, & Log. P.P. Ad exequias; Quas Viro ... Samueli Vossio,  
SS. Theol. Doctorando ... Moestissima superstes vidua hodie ... expetit. Omnes  
omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. sub Sigillo Rectoratus, 26.  
August. Anno 1674.]**

Rostochii: Kilius, [1674]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn777167719>

Druck    Freier  Zugang



Wolff, F.

in S. Voss.

Rost.(1774) /a  
6



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/pnn777167719/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn777167719/phys_0002)

DFG





PROGRAMMA,  
QUO  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
**FRANCISCUS**  
**WOLFIUS,**  
Philosophiæ Magister, & Log. P. P.  
Ad exequias;  
Quas  
V I R O  
NOBISIMO, SUMME-REVERENDO,  
AMPLISSIMO ATQUE CLARISSIMO, DNO.  
**SAMUELIV VOSSIO,**  
SS. Theol. Doctorando, & quon-  
dam apud FRISIOS ORIENTALES, post apud  
Megapolenses Terrarum Rostochiensium, Superin-  
tendenti & Adfessori Consistorii Ecclesiastici, dum  
vixit, longe gravissimo meritissimo  
*Mæstissima superstes vidua*  
hodie solenniter indicendas votis omnibus expetit.  
**Omnes omnium Ordinum Cives Acade-**  
micos, suos quoque titulis honorandos, & con-  
spicuos, per amanter invitat  
ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.





Uaquaversus per refertissimū varietate, & magnitudine amplissimum Naturæ theatrū speculatores emiseris oculos, quocunq; incidunt, omnia summæ admirabilitatis obversabūt plenissima. Exspaciare, si placet, instellantis cœli palatia, & habitabunt cogitationes inter palantia siderū agmina, curiosis obtutibus rapidissimos fixarū motus, ordinatissimos Errorum circulos, ~~arex λαίπες~~ principis siderum eclipses arbitraturæ. Advoca in subfidium oculi armati præstantiam, & ad ipsum Cor hujus universi, Solem, penetra, & videbis in charta repræsentari, quæ incredibili mentem stupore suspensam teneant. Ipsiā conspicere lucis originem, vitæque mundi inferioris scaturiginem instar ardentis Oceani perpetuâ undarum ebullitione æstuantem. Crederes te cuppas fusorias intueri, ita igneis solaris discus fluctib⁹ agitatus undarum vorticibus circumvolvatur, fuliginib⁹ spississimis flamarum luci mistis miram quandam facularum umbrarumq; vicissitudinem adspectui ingerentibus. Sed quorsum ad sublimia hujus universi tecta, quæ incessantis circumvolutionis motu rotata, non tenebras globo terraquo offundunt, sed potius luce & calore omnia ejus receptacula perfundunt? quorsū ad globos igneos tectis cæruleis insertos, perpetuâq; circumvolutionis lege fortes, aciem oculorum intendemus? ante pedes sunt, quæ animos in dignissimos admirationis raptus trahere possunt. Curioso perlustremus oculo Geocosmi hujus incredibili conspicuam pulchritudine machinam, opulentissimum humani generis regnū, promptuariū & epitomen omnium hujus universi virtutum. Quænam fundamenta huic pavimento

mento mundi substrata? quænam sublīcæ? quænam palorum  
festucatio, qua tanta firmitudine super aquarū ei circumfusarū  
instabilem molem stabiliretur, ut nullo robore, nulla vento-  
rum furentium vehementiā, nulloque tumultuantis Oceani  
impetu per 5000. & quod excurrit annorum decursus labefac-  
tari & vel tantillum loco moveri potuerit? Et ne multitudine  
mirificissimorum effectuum, quibus hæc fabrica abundat, toti  
obruamur, & quiori perpendamus judicii lance, quænam abstru-  
siora miracula solæ aquarum abyssi in recessu alant, & obstupe-  
scemus. Oceanum vocamus ingentem illam aquarum molem,  
quæ tellurem in toto suo globo circumfluis undis præcingit, ne  
ullibi tam necessarium deesset elementum. Neque tantum am-  
bit sua diffusione, sed venas quoq; per vastum terræ corpus por-  
rigit, siccā rigat, & languescentibus alimenta suppeditat & re-  
liquas omnes aquas in toto terrarum orbe tanquam fons in  
exhaustus generat, & in se se denuò recipit. Varias e quidem al-  
lambendo terras variis insignitur nominibus, unicus tamen  
numero manet, & vel perfreta, vel subducentes se oculis no-  
stris cuniculos, undas aliis subministrat. Temperatus est altissi-  
mo Dei consilio hic Geocosmus diversorum, aquæ terræque,  
elementorum mixtrâ, cum neque aqua sine terrâ, neq; terra  
sine aqua suum in rerum naturâ locum tutari posset. Quis sine  
admiratione diversissimos hujus elemēti motus animo volvat,  
dum nunc simul cum Sole ex Oriente in Occidentem devolvi-  
tur, nunc fluendo & refluendo ad nutum Lunæ reciprocat;  
nunc certis anni mensibus vel diebus, statos suos in quibusdam  
maribus servat impulsus, nunc vorticibus absorbetur, nunc  
impetu fluminum, se se in mare exonerantium, propellitur, &  
quasi fugatur. Quis non demiretur constantissimam aquarum  
pericyclosin, quâ & hoc elementum mira quadam harmoniâ  
sideribus cœli correspondet, dum Mare sub polo Arctico ingen-  
ti præcipitatum absorbetur voragine, & absoluto per inexplora-  
biles meandrorum ductus cursu, incomprehensibilibus ambagi-

bus in Australi rursus polo eructatur? Quod si verò ad ipsa inter-  
riora pelagi cogitationibꝫ descendamꝫ quanta quæso sese oculis  
nostris oggerent divinæ sapientiæ monumenta? Videat qui vo-  
let quæ Frederico Regi Siciliæ narravit oculatus testis Urinator  
ille Nicolaus, qui in imos præcipitatus Charybdis gurgites, post  
tres horæ quadrantes regurgitatus, auream pateram trinmphab-  
andus extulit. quinam voraginum ebullientium imperus?  
quanta scopulorum multitudo? quot Euripi? quot Polyporum  
greges cirris decempedalibus metuendi? quot canes marini aci-  
nacium aciē minacibus superantes dentibus? Quis satis admis-  
trabitur ingentes submarinarū regionū sylvas, quarum cacumina  
interdū ex ipsis aquis capita extollunt, docentibꝫ illud arboribꝫ  
corallinis, quarū Mare rubrū est feracissimū. Quis amoenissima  
subaqueæditionis prata, floribꝫ submarinis luxuriātia, qui dū ab  
urinatoribꝫ in fundo decerpti, ut lucē adspiciūt, illicē in cristalli-  
ni lapidis indurescant naturam, florū formā pereftissime repræ-  
sentantē? Quæ non referunt Historici omne pene fidem exlufe-  
ratiæ de monstribꝫ & hominibus marinis? In Brasilia utriusq; sexus  
haut procul à Porto Securo, formosi etiam conspiciuntur, hoc  
cum discriminē, quod fœminæ prolixiori ornatae comâ formæ  
sint elegantioris. Si forte potiuntur homine, tanto hujus amo-  
reduci dicuntur, ut complexibus arctioribus eum retinendo  
extingvant. Similia in pisces desinentia monstra passim loco-  
rum alibi etiam conspiciuntur. Quæ de homine marino à Lega-  
tis Potentissimi Regis Daniæ Anno 1619. mense majo excepto  
historiæ loquuntur, accuratiōres videant & dijudicent. Et  
quis mortalium cuncta potentiaæ aquarum Exempla enumerare  
queat? Plinius cum in usitata de fontibus plurima proposuerat  
l. 31. c. 2. si quis inquit, fide carere ex his aliqua arbitratur, discat  
in nullâ naturæ parte majora esse miracula. Hoc elementum, ju-  
dice Plinio l. 31. c. 1. ceteris omnibus imperat: terras devorant aquæ,  
flammas necant, scandunt in sublime, & cælum quoq; sibi vendicant,  
ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant. Quid esse mirabi-  
lius potest aquæ in cælostantibus? At ille ceu parum sit in tantam per-  
veire

venire altitudinem, rapiunt eò secum piscium examina. Sepe etiam lapides subvehunt portantes aliena pondera. Eadem cadentes omnium terra nascentium causa fiant, prorsus mirabilis natura, si quis velit reputare, ut fruges giguantur arbores fruticesq; vivant, in cælum migrare aquas, animamque etiam herbis vitalem inde deferre: justa confessione, omnes terra quoque vires aquarum esse beneficis.

Parum autem erat si aquæ tot in usitatis effectib; tot mirabilib; partib; animos nostros divinæ sapientiæ laudibus inundarent, si non totæ simul in utilitates & commoda hominum influerent, ipsique adeo terræ, cui uniuersum naturæ partium judice Plinio l. 2. c. 63. eximia propter merita cognomen indimus maternæ venerationis, palmam utilitatis facerent ambiguam. Ipsa telluris viscera innumeris natura perfodit cuniculis, cavernasque in gremio ejus veluti quasdam culinas & officinas architectata est, in quibus Vulcanus longo labore aptissima omnium rerum fabula & nutrimenta percoqueret, eademque ex abditissimis receptaculis per caniculos velnti per corporis terrei venas singulis partibus ad indigentiam distribueret. Atque hunc in finem non inepte Princeps recentiorum naturæ Secretariorum KIRCHERUS distincta quædam in imis terræ penetralibus constituta putat receptacula, in quibus sua naturæ fœcunditas elaboraret rerū terrenarū principia. Sicut enim in homine tanquam microcosmo varix conspiciuntur, officinæ, quarū aliæ humore exuberant, ut Cerebrum, Hepar & vesica; aliæ vitalis ignis calore æstuant, ut Cor, aliæ denique aereo spiramine turgent, ut pulmones; ita in Geocosmo hisce correspondentia non male concipiuntur promptuaria, quorum alia vocentur Hydrophylacia tanquam humoris aquarū que receptacula; alia, cum humores sine calore conservari nequeant, pyrophylacia, quibus aquarum humorumque fœtura quasi animaretur; alia denique, cum ignis sine aere haut vivat, aerophylacia, quæ occulto meatuum commercio ignem, ne extinguitur, & aquam ne putrefiat, aut conglaciatur, ad perennis motus continuatio-

nem

nem conservarent. Hæc elementa, cum in molem agunt terrestrem innumerabilem rerū fœturam educunt. Et sicuti in humano corpore sangvis continuata circulatione, initio motus e corde sumto, per valulas venarum ductibus insitas, per omnes venas fluit & refluit: ita in vasto Geocosmi corpore in Oceani pericyclosi aquæ per subterraneos aquæ ductos tanquæ per venas terræ, singulas terræ partes allambunt & perfluit, & prout alias atque alias terras pyrophylaciis propinquiores, vel ab iis remotiores, his vel illis proprietatibus imbutas alluant & stringunt, ita varii generis flumina & fontes producunt, nunc aquas protrudent acidas, nunc amaras, nunc salsa, nunc calidas, nunc frigidas, nunc aliis effectibus stupendas. Dantur Plinio teste Sinellianæ in Campaniâ aquæ, quæ sterilitatem fæminarum abolerent, & aliae, quæ eam promovere dicuntur. Cydnus Ciliciæ amnis podagrīcis medetur; in Trœzene contrâ omnium pedes aquarum culpâ vitium sentiunt. Alibi duo sunt fontes, quorum Ceron bibentes ex ipso oves nigras facit, Melas contra albas, ex utroque bibentes fiunt variæ. In Bœotia rursus alter fontium memoriam, alter oblivionem afferit In Sicilia fluit rivus ex quo bibentium subtiliores sensus: In Ceâ est sons ex quo habetiores fiunt. Quid referam de Thermis, quæ passim loco rum scaturiunt. In Europa supra 324. numerantur, sola Germania 120. sovet; fontium Acidorum Germaniæ ad 1000. numerum nonnulli excurrere existimant, quorum mirabiles sunt effectus. Alii ulceribus, alii scabiei, alii podagræ chiragræq; præsentissimum propinant remedium. Alii febres, alii pectus & pulmonis vitia eluunt, alii aliis medentur morbis. Ad hos fontes, quorū virtutes medicamentosas nō semel piè defunctus noster expertus erat, cum jam extrema imminerent, iter parabat. Harum efficaciâ dolores intensissimos, qui per singula corporis membra liberius grassabantur, superatum iri sibi persatisfactum habebat. Ceterum aliter clementiæ divinæ visum, ad aliū ipsum evocavit fontem, cujus aquæ vitam non tantum promittunt,

tunt, sed & re ipsa conferunt sempiternam. *Deduxit eum Agnus,*  
*qui in medio throni est, ad vivos fontes aquarum, ubi nec esuriet*  
*nec sitiet amplius, nec cadet super illum sol, neq; ullus astus Apoc. 7.17.*  
Quotquot heic liquores medicatos impigrè hausit, licet leva-  
rent, non tamen tollere potuerunt novis identidem incremen-  
tis auctas morbi serpentis vires. Ibi jam fruitur fluentis alexi-  
pharmaëcis, quæ ipsa morbi semina prorsum suffocant. Maximâ  
admiratione lectorum percellunt animos, quæ de mirabili na-  
tura arboris cujusdam in aliqua ex Insulis Canariis, Ferra dictâ  
Historici memoria prodiderunt. Tota Insula aquis siti restin-  
guendæ idoneis, fontibus, scaturiginibus pluviisque plane de-  
stituitur. Ceterum defectum illum largifluæ arboris [incolæ  
vocant Caroe, antiquiores Til] stillicidiis divina compensavit  
Sapientia. Conspicitur versus Boream in montis excelsissimi  
vertice arbor ad sesquimilliare à mari distans unica numero,  
perpetuoque florens. In hanc quicquid humoris radii Sola-  
res in vapores resolutum attraxerunt, & in nubem collegerunt,  
quotidie sub diluculum descendit, omnes ejus ramos & folia  
irrorat, & largissimis stillationibus in subjecta ab incolis vas a de-  
mittitur. Hac ratione & homines & animalia sitiis vehementiam  
sedat, neguttulâ quidē dulcioris aquæ aliud proveniente, ipsaq;  
arbore sine sui multiplicatione à multis seculis, juxta alios à con-  
dito mundo, juxta alios à diluvio ad hæc nostra usque durante  
tempora, sine ullo cariei aut interitus periculo. Et quod mira-  
bilia hæc auget, compertum ajunt, cum mense Augusto, nimio  
æstu omnia adurente, aquæ inopia laborant, nube illâ, ex humo-  
rum terrenorum copiâ generatâ, non apparente, saepius in ipso  
pelago vapores in nubem concrescere, arborem illam præ reli-  
quis petere, eamque liberalissime irrigare. Ut vel hac ratione  
fatiscentibus anhelâ siti hominibus & animalibus subveniatur.  
At enim verò exactissime hæc omnia veritati respondeant, ut  
pote tot autorum fide dignissimorum relationibus confirma-  
ta; Duret hæc arbor interitus expers usque ad finem seculi,  
stillet

stillet largissimos aquarum rores, sedetq; uita siti incolarum  
guttura; nunquam tamen ita sitim sistet, quin eandem simul a-  
lat: nunquam ita perennaturis stillabit aquis, quin aliquando  
deficiat. Ast noster pie defunctus ad insulas Fortunatas, ad æ-  
terna cæli palatia delatus bibit ex aqua quam Christus arbor vi-  
ta dat, ex qua qui biberit, non sitiet in eternum, quæ aqua factæ est  
in eo fons salientis in vitam eternam Iob. 4.14. Non possumus ti-  
bi, beate vir, hanc felicitatem invidere. Quamdiu vivebas mor-  
iebare, infirmo corpore anhela siti anima abitum adornabat  
ad acidulas. Nunc in ipsa morte illum invenisti fontem, cuius  
Vivus undis tanta copia tantaque virtute nunquam potiteris.  
Age igitur liberius te invita, & dulcissimis vitæ aquis æternum  
inebriare. Ceterum honori ultimo Viri hujns piè defuncti pa-  
rentaturi nonnulla memoria ejus inservientia rudi minerva,  
cum potiora ignorentur, heic adumbrabimus. Patre natus est  
Viro Nobilissimo & Generosissimo VALENTINO VOSSIO.  
Domino in Lupelow/ Breitenfeld und Gorrensdorff/ Matre  
vero fæmina generis nobilitate conspicuâ MARGARETHA  
Linstowen de Garz & Lübs. Avus paternus Vir Nobiliss. &  
Præstrenus VALENTINUS VOSSIUS, Dominus in Lupel-  
low/ Flotow & Gorrensdorff. Avia paterna fœmina No-  
bilissima Engel Dracken de Treptow. Avus maternus Vir  
Nobilissimus & Strenuus LEVINUS Linstow/ Dominus in  
Garz/Lübs & Gensfen. Avia vero materna fœmina nobilita-  
tis præcipuæ Jese Beeren de Hügelsdorff. Proavus paternus  
Vir Generosus & Strenuus EGGERO VOSS Dominus in  
Flotow/ Garrensdorff/ & Lupelow. Proavia vero paterna  
fœmina nobilitate clara A N N A Strussen/ oriunda ex Pome-  
rania ulteriori. Proavus maternus Vir Nobilissimus Jürgen  
Linstow/ Dominus in Garz/Lübs & Glasen. Proavia ma-  
terna fæmina Nobilissima MARGARETHA Hoben/ de Wa-  
stow. Abavus paternus Vir Generosus & Prænobilis NICOLAUS  
VOS-

VOSSIUS, Dominus in Lupelaw / Gorrengsdorff & Linden-  
berg: Abavia materna Fæmina genere clara, CHRISTINA  
Zahnen/ de Basedow. Abavus maternus Vir Præstrenus &  
Nobilissimus HANS Linstow/ Dominus in Garz/ Luebs &  
Glafen. Abavia materna Fæmina Nobilissima ANNA Zepe-  
lin/ de Lurickow. Atavus maternus Vir Nobilissimus MAT-  
THIAS Hobe/ Dominus in Wastow. Atavia materna fæmi-  
na stemmate nobilis METTA Strahlendorffin/ de Golde-  
berg. Tritavus Paternus Vir Nobilissimus Generosus & Stre-  
nuus Dominus EGGERD VOSS/ Dominus in Linden-  
berg/ Flotow & Gorrengsdorff. Tritavia paterna fæmina No-  
bilissima ANNA von Sacken/ex Pomerania ulteriori. Tra-  
tavus maternus, Vir Nobilissimus & Præstrenus MORITZ  
LJNSDOW, Dominus in Garz/ Luebs & Glafen. Tra-  
via vero materna fæmina Nobilissima ANNA von Oldenburg  
de Gamlin. Qui Nobilissimū pie defunctum ex linea materna  
Parentis attingunt, sunt: Parens avia paternæ Vir Nobiliss. & Ge-  
nerosiss. Dominus ANTONIUS Drake/ Serenissimi quondam  
Pomeranorum Principis Consiliarius intimus, Dominus in  
Treptow. Mater avia paternæ fæmina Nobilissima CLARA  
von der Lüch de Fahrenhoff. Avus avia paternæ Vir Gene-  
rosus ASMUS Drake/ Dominus in Treptow. Avia avia paternæ  
fæmina Nobilissima MARGARETA Schwerin de Span-  
dow. Parens proavia paternæ Vir Nobiliss. & Generosus VI-  
CTOR von der Lüch/ Dominus in Fahrenhoff: Mater proa-  
via paternæ fæmina longe Nobiliss Engel Preen de Wolde.  
Qui vero piè defunctum ex linea materna matris attingunt  
sunt: Proavus Vir Nobiliss. HANS BEER Dominus in Hü-  
gelsdorff & Kabelsdorff. Proavia fæmina stirpe Nobilissima  
ANNA Lewzo/ de Lünow. Abavus Vir Generosus VICTOR  
Beer/ Dominus in Hügelsdorff & Kabelsdorff. Abavia fæmi-  
na natalibus splendida MARGARETHA von Blanckenburg

de Wolffshagen. Atavus Vir Nobiliss. & præstrenuus ACHIM  
Lewzo/ Dominus in Linow. Atavia fœmina genere fulgidissima ANNA Schmecken de Wüstenfelde. Tritavus Vir Generosus HANS BEER/ Dominus in Hugelsdorff & Kabelsdorff. Tritavia fœmina Nobilitate florentissima, CATHARINA von Schwerin de Spandow, Reliqui Majores patriti suis titulio illustres celebrantur die Breden/ die Strussen/ die Hahnen/ die Säcke/ die Drachen/ die von der Lüch/ die Schwerinen/ die Preenen/ die Billerbecken/ die Palen: Majores vero materni, die Friebergen de Spreng/ die Oldenberger de Gemlin/ die Passawen/ die Bierecken/ die Schwerinen/ die Eichstedten/ die von der Lüch/ die Hahnen. Ab hac Majorum longa annorum serie propagata nobilitate nostri pie defuncti natales splendidissimo fulgore coruscant. Lucem hanc adspexit Anno à Christo nato M DC XXI, 26. Augusti in Lupelow. Mox Sanctissimo Baptismatis fædere initiatus est & nomen Samuelis ei fuit inditum, ut vel ipsum statim nomen de voto quo se Mater gravida obstrinxerat, si filium enixura esset, se ipsum Domino, divinoque consecratram cultui, restaretur. Studio itaque Theologiae ab ipsis incunabulis destinatus tertio statim ætatis anno, nullo impellente, sese studiis fratris sui majoris ad sociavit. Mox adultior factus prima eruditiois principia & fundamenta privata industria per novem annos jecit in ædibus patris. Postquam vero duodecimum explevisset annum Anno M DC XXXIII. Gustrovium missus curæ Viri summe Rev. Ampliss. & Excellentissimi DN. LUCÆ BACMEISTERI, SS. Theol. D. & Superintend. Gustrovici & Districtus Rostochiensis longe meritissimi concreditus, commilitone CHRISTOPHORO FRIDERICO von Jasmund/ nunc Consiliario Provinciali Terrarum Megapolensis gravissimo, ductu & auspicio DN. JOHANNIS Wittstockes/ Philosophia Magistri clavis, per triennium tam felices in literatura eleganter fecit pro-

progress⁹, ut non tant⁹ plurimorum sibi conciliaret favorem,  
sed & doctiores in sui admirationem raperet. Interea tempo-  
ris Anno M DC XXXIX. turbis hujus seculi eruptā matre à Pa-  
rente superstite Rostochium avocatur; Dicto audiens adve-  
nit, & cum bellum multib⁹ omnia essent vel perturbata, vel in ci-  
neres redacta, Rostochii per annū commoratur, tanta diligentia  
literis invigilatus, ut nihil reliqui faceret eorum, quibus ad so-  
lidæ eruditionis culmen grassari posset. Eo ipso anno adven-  
tantibus Rostochium alumnis Scholæ Borholmensis, Comite  
Rectore Viro Clarissimo DN. PAULO SPERLINGIO, SS. Theol.  
D. & nunc in Academia Chiloniensiū P.P. celebratissimo, ad in-  
teriorē Viri tanti amiciliā admissus, accedente testimonio Viri  
Generosissimi Generalis Lohausen/ Serenissimo Principi Hol-  
satorum commendatus, clementissimè ab eodem in Gymna-  
sium Borholmense receptus, numero alumnorum Ducalium  
adscriptus, per triennium studiis pro virili egregiam ibidem  
navavit operam Anno M. DC. XLII. denuò Rostochium,  
ut ad altiora viam affectaret Theologiae sacraria, mittitur. Per  
quadriennium unā cum' 9. commilitonibus Alumnorum Se-  
renissimi Principis Hollatiæ, convictu Viri Plur. Rev. Amplis-  
simi atque Excellentissimi DN. M. LUCÆ BACMEISTERI, SS  
Theol. P.P. celeberrimi usus, oppidò se in hoc studio solertē da-  
bat. Inde anno M DC XLVI. mandato Serenissimi Holsatorum  
principis in Academiam juliam movit, convictu & informatione  
D. CALIXTI Senioris Theologi judicioſissimi consumatissimi  
per 8 annorum decurs⁹ fructus. Huic eruditionis suæ non vul-  
garis ſpecimina dedit, eoq; Praſide an. M DC LIV. disputationē  
de pœtis quæ DEUS cum hominibus iniit, ſumma cum laude publi-  
ce defensitavit. Cumque perspectis eruditionis variæ ſpecimi-  
nibus identidem amici eum exſtimularent, ut ad ſummos in  
Theologia honores adſpiraret, diu recuſavir, tandem vicit  
tantum eorum deſideriis dedit, ut inaugurali, ut vocant, dispu-  
tatio-

tatione, prævio examine accuratissimo, suam publice conspe-  
ctui doctissimorum virorum & florentissimæ studiosorum co-  
ronæ probaret eruditionem, licet ipsis se summis honoribus  
nunquam insigniri voluerit. Post à Serenissimo Holsatorum  
Principe ad Batavos & Gallos missus per triennium Urbes & A-  
cademias harum regionum celebriores vidit, Virosque doctis-  
simos allocutus notatu digniora memori mente reposuit. Inde  
reversus Gottorfiam à Serenissimo, Celsimo Frisiae Orientalis  
Duci commendat⁹ Anno M DC LVII. ad sublime Generalis Su-  
perintendētis & Consiliarii rerū Ecclesiasticarū per Frisiā Ori-  
entalē munus vocat⁹ est. Cui etiam officio curā, laborib⁹, preci-  
bus, exemplo, conscientia duce, honori divino unicè litaturus,  
per tredecim annos pro virili præfuit. Convertebant omniū,  
maximè conterraneorum, oculos in se mores integerrimi, devo-  
tissimæ preces, vigilatæ noctes, candoris admirabilis specimina.  
Quibus undique fulgentibus à Serenissimo atque Cessissi-  
mo PRINCIPE Megapolitanorū DN. GUSTAVO ADOLPHO,  
Patrono ac Nutrio hujus Universitatis munificentissimo,  
Domino nostro longè Clementissimo, ad Episcopatum di-  
strictus Rostochiensis inde evocatus est. Ancipitem cogitan-  
di curam afferebat identidem Providentia Dei, amor Patriæ, fa-  
vor incredibilis tanti Principis: Movebatur & permovebatur  
Parendum omnino existimabat vocanti Deo & Patriæ suæ Patri.  
Impetrato itaq; supplicib⁹ votis & suspiriis Dei T.O.M. auxilio  
Auricā Frisorum movet, Patriamque, oculis contra caram sa-  
lutar. Nec mora amplexari Pastorem Ecclesiæ, & in oculis ge-  
stare. Ut primum solenni ritu ad capessendum heic locorum  
officium illud sacrum à Viro summe Reverendo Amplissim⁹  
atq; Excellentissimo DN. HERMANNO SCHUCKMANNO,  
SS.Theol.Doct. Cōcionatore Aulico & Superintendēte Gustro-  
viensi longe gravissimo, meritissimo, Socero nostro omni obser-  
vantia cultu prosequēdo, inaugura batur, illud sibi negotii dari  
cre-

ereditum, ut totus honoris divino, Ecclesiarum & Patriæ commo-  
dis velificaretur. Ceterum non tam hosce conatus, quam fa-  
ctum ipsū subita vis morbi & intra viscera debacchata, & ex-  
teriora passim corporis membra depallescens, sufflaminare attēta-  
vit, Scorbuto & arthritide data quasi operā in impedimentū de-  
sideriis ejus objiciendū conspirantibus. Et frustra quidem vota  
eius precesq; morborū vehementiores impetus sollicitabant,  
sub exquisitissimis subinde cruciatibus in devotas effusus preces  
Serenissimum Patriæ Patrem, totamq; domum Mecklenburgi-  
am, Ecclesiā & Patriæ commodū clementiæ divinæ commenda-  
bat. Inter alia sæpius in hæc erumpet: Fac Jesu, ut nihil sine te  
agam cogitemve, fac, ut ne digitū quidem sine sanctissima volun-  
tate tua moveam. Urge vi morbi, aliisq; imminentib⁹, morbi  
comitibus, difficultatibus, de sociâ vitæ, providente & dirigen-  
te Deo, cogitare occipit. A Divino præ primis instinctu hoc in  
negotio dependebat. Quo impetrato desideria illa Serenissimo  
ac Clementissimo Principi suo, qua submissione animi poterat,  
exposuit. Annuit ille. Nec mora insinuavit se castissimus pecto-  
riamor, quo ferebatur infœminam Nobilissimam omniumque  
sui sexus virtutum confluxu clarissimam ANNAM SOPHIAM  
WOLFIAM, viduam tunc temporis HAGENMEISTERIA-  
NAM, aunc tertium viduam mœstissimam & maximi luctus ter-  
tiatione pene oppressam. Splendore virtutum inlustri laudatæ  
fœminæ admirator probitatis animus perstringebatur. Ambit,  
orat & exorat, tandemq; 15. Februarii Anni MDC. LXXII. Sun-  
da Pomeranorum auspice Deo exoptatissimos ingreditur talas-  
mos. Anno subsecente variis morborum oppugnatur agmi-  
nibus, Cuniculos agente calculo; tormenta disponentibus &  
cæcis murmuribus intestina quatientibus passionibus Colicis;  
pleuritide ferrum quasi in viscera adigente arthritidis copiæ  
singula membrorum munimenta aperto marte aggrediuntur.  
Advocatur in consilium sagax medicorum prudentia; succen-

turiantibus pro virili præstantissimis quibusq; chirurgis. An-  
cipitem gliscantium symptomatum varietas assert deliberandi  
curam, præsentissimorum virtutes Medicamentorum hosti ob-  
jiciunt, nihilque faciunt reliquieorum, quæ vel solers industria,  
vel artis experientia, vel rationis Consilium ad fugandum ho-  
stem excogitare & subministrare poterat remedia. Ceterum o-  
mnem vim præsidiorum fortior vis morbi dejecit, nisi quod  
mens tacitis Spiritus S. refecta viribus suppetias itentidem &  
commeatuum copiam à clementia divina sollicitavit & impe-  
travit. Martyrium quotidiè corpus subire crederes, ita exqui-  
sitissimis excruciant morbi doloribus decumbentem, ani-  
mo interea in JESU suo triumphos meditante. Acceslerat ei  
non parum viriū, quotiens dulcissimis permulcebatur eloquiis  
Viri Summè Rev. Ampliss. atque Excellentissimi Dni. HENRI-  
CI MULLERI, SS. Theol. D. & PP. celebratissimi, nec non Su-  
perintendentis Rostochiensis gravissimi meritissimi, Fautoris  
& Collegæ nostri honoratissimi, qui sèpius tanquam medulla  
Svadæ ipsum suo alloquio dignabatur, & S. Eucharistia 13. Julii  
viatico instruebat. Ut verò eò accuratius de morbi genere quo-  
cum tamdiu conflictatus est, constet, audiatis quæso hac de re  
edissertantem virum Nobiliss. Ampliss. & Experientissimum,  
Dnm. SEBASTIANUM Wirdig / Medicinæ Doctor. felicissi-  
mum & PP. accuratisimum, celeberrimumque. Ita vero ille:  
Morbus, quo Pl. Rev. & Nobilissimus DN Superintendentens tandem succubuit,  
Scorbutus fuit, accolitus maris hujus Baltici endemius, maximèq; familiaris.  
Qui prout suis symptomatibus robustum enervat, ita vel magis ambelle, Beate  
nosciri, & morbis opportunum corpusculum. Et principio quidem genua spon-  
tanea lassitudine, affixit, de hinc aliis symptomatibus, crebris destux onibus,  
appetitu prostato & doloribus ventris plenius malignitatem suam explicituit.  
Thermas itaq; iteratò nec non acidulas malo huic objicit, quarum usu ad  
tempus quidem paululum remisit, paulo post tamen acruis iterum invaluit.  
Unā tamen etiam Excellentissimorum diversorum Archiactorum medicinis  
creberrima usus, & quidem non sine successu pertinax tamen, & ut videba-  
tur

tar hereditarium malum crebrioribus symptomatibus semper iterum recruduit, accessitq; insuper Arthritis primò vaga, postea nodosa seu tophacea. Et nostra tandem hic imploravit auxilia, conjunctis itaq; consiliis ego & Excellensissimus meus Colliga, Dn. D. JOHANNES BACMEISTERIUS nihil corum, que ad leniendam agrimoniam Ars nostra nobis suppeditaret, omisimus, verum convenientem supradictis imbecillitatibus opposuimus medicinam, efficitiusq; diligenter nostra curatione, ut excursiones rurales, parochiarum visitationes, aliaq; Episcopi munia exequi valuerit. Vrùm superiori vere novo, nova iterum accessit malorum alias. fibres nimirum erraticæ, lithiasis, vigilie, inappetentia, tumor & dolor hemorrhoidum. Quæ generosiora etiam spreverunt remedia, vires antea affectas planè enorvarunt, convulsurunt, & valetudinibus fessum corpus exanime reddiderunt, ita ut VIR DEI piede & placide in DOMINO suo IESU obdormiret.

Scilicet 19. Julii Anno 74. Horrifico, postquam, (ut Poeta cauit) tonitru cœlum omne remugit.

Grandinis & crebrâ tellus crepit ante procellâ.

Pulsa sonat, ruptisq; micant è nubibus ignes

Flammiferæq; volant magnū per inane sagittæ;

Fulguraq; ingeminant.

Post X. vespertinam, totus in gratias divinæ clementiæ agendas, ore quamvis raucisono, quod anhela siti adustum sonum ægre admodum molebatur, effusus, quod impendentia ex minacibus mala nubibus denuò averuncarit, ad somnum sese compositurus, nequidem advertentibns illis qui adsidebant lecto, & manum ejus apprehensionem in sinu fovebant, somno domitore curarum & malorum perpetuo sopitus placidissimè exspiravit, eodem quo ex imis terra (ut vocat sera, Ps. 139 v.15. uterum) prodit die, in matris gremium, tanquam mortis Stomachum (ut vocat Plato) iterum demittendus. Ecce quomodo moritur Justus, & nemo percipit corde. Si quisquam inventus haclenus fuit, ut loquitur Ezech. 22. v. 30. sepiens sepem & stans in fractura ad fatigas Dei pro terrâ (nostrâ) ad non corrumpendum eam; certe hic, dum vixit, fuit. dum decubuit, stetit; dum infirmatus est fortissime deceravat, dum morbo superatus, iplum Deum precando & obtestando vicit. Nunc vero columen nostratum regionum subversum; Heros militantis Ecclesiæ cecidit, & perenniaturæ gloria surgiti. Nobis occidit sibi ortus est. Lugent Ecclesiæ; plorat ereptum incellissima vidua, dolent amici, pullati incedunt Antistites; Tuvero, clementissime Deus Patriæ

trix & nostri miserere. Quod reliqua est, Cives Academic, vestris titulis  
conspicui, ea qua fas est humanitate, ad unum omnes vos invito, ut ne fre-  
quentes tanto funeri intereste, mortem meditari, & decus quoddam edu-  
cationi addere pigremini. Si vel ipsa mellis procretricia animalcula apes hanc  
humanitatem, teste Virg. 4. Georg. defunctis deferunt, dum canit:

Tum corpora luce carentum


Exportant teclis, & tristia funera ducunt.

quid circa hoc ultimum & maximum pietatis officium, circa ultimum quo  
honoramus mortuos præmium, circa ipsam humanitatem, mansuetudinem,  
misericordiam, & religionem, nostrarum fuerit partium secreta & estimatio-  
ne ponderate.

## Convenietur in æde B. Mariæ sacrâ horâ I.

P.P. sub Sigillo Rectoratus, 26. August.

Anno 1674.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777167719/phys\\_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777167719/phys_0021)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/pnn777167719/phys\\_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn777167719/phys_0022)

DFG






[http://purl.uni-rostock.de  
rosdok/pnn777167719/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn777167719/phys_0024)



DFG

tur hereditarium malum crebrioribus sym-  
 duit, accessitq; insuper Arbrutis primò vag-  
 nostra tandem hic imploravit auxilia, con-  
 cilius meus Coll. ga, Dn. D. JOHANNE  
 que ad lenientiam agrimoniam ars nostra-  
 rum convenientem supradictis imbecillitat-  
 emus diligentera curatione, ut excu-  
 tationes, aliag; Episcopi munia exequival-  
 nova iterum accessit malorum ilias, fibres n-  
 lie, inappetentia, tumor & dolor bamorrh-  
 spreverunt remedia, vires antea affec-  
 runt, & valetudinibus fessum corpus exanim-  
 pie & placide in DOMINO suo JESU obdo-  
 Scilicet 19. Julii Anno 74. Horrifico, postq;  
 lum  
 Grandinis &c.  
 Pulsas sonat, ru-  
 Flammiferq;  
 Fulguraz inge-

Post X. vespertinam, totus in gratias  
 quamvis raucissono, quod anhela siti adu-  
 liebatur, effusus, quod impendentia ex mi-  
 runcarit, ad somnum sese compositurus,  
 adsidebant lecto, & manum ejus apprel-  
 domitore cursorum & malorum perpetue  
 eodem quo ex imis terræ (ut vocat seca,  
 in matris gremium, tanquam mortis Ston-  
 demittendus. Ecce quomodo moritur Ju-  
 quisquam inventus hastenus fuit, ut loqui  
 & stans in fractura ad fatigas Dei pro terr-  
 dum eam; certe hic, dum vixit, fuit. dum  
 tis est fortissime decertavit, dum morbo  
 do & obtestando vicit. Nunc vero colum-  
 sum; Heros militantis Ecclesia cecidit, &  
 bis occidit sibi ortus est. Lugent Ecclesia;  
 dolent amici, pullari incedunt Antistites;



the scale towards document

mper iterum recru-  
 sa seu topbacea. Et  
 filii ego & Excellen-  
 ERILS nibil eorum,  
 aret, omisimus, ve-  
 res medicinam, effo-  
 parochiarum visi-  
 superiori vere novo-  
 uce, liebiasis, vigi-  
 generofiora etiam  
 varunt, convulse-  
 t, ita ut VIR DEI

a cauit) tonitru cæ-  
 .  
 it ante procella.  
 nubibus ignes  
 ù per inane sagitta;

ntiae agendas, ore  
 gre admodum mo-  
 ubibus deuô aver-  
 vertentibns illis qui  
 fovebant, somno  
 idissimè exspiravit,  
 rum) prodiit die,  
 ocat Plato) iterum  
 ercipit corde. Si  
 zo. sepiens sepem  
 non corrumpeno-  
 tit; dum infirma-  
 um Deum precan-  
 regionum subver-  
 loriz surgiti No-  
 mactissima vidua,  
 catissime Deus Pa-  
 triæ